

ALGORITHMVS DEMONSTRATVS.

DESCRIPTIONES.



Igitur est omnis numerus minor decem. Articulus est omnis numerus qui digitum decuplat, aut digiti decuplum, aut decupli decuplum, & sic in infinitum. Separantur autem digiti & articuli in limites. Limes est collectio nouem numerorū, qui aut digiti sunt, aut digitorum æque multiplices, quilibet sui relatiui. Limes itaq; primus digitorū. Secundus primorum articulorū. Tertius est secundorum articulorū. Et sic in infinitum. Numerus compositus est qui constat ex numeris diuersorū limitū. Item numerus compositus est qui pluribus figuris significatiuis repræsentatur. Additio numeri ad numerum est eorum in unam summā coniunctio. Operatio additionis est figurarū unius datorum numerorū in figuras totam summā repræsentantes artificiosa mutatio. Subtractio numeri à numero est unius secundum alterum diminutio. Operatio eius est residui secundum artem repræsentatio. Duplare numerum est ipsum bis sumere. Dimidiare est totius dimidiū relinquere. Operari in his est figuras hinc dupli, hinc dimidij, significatiuas, prout præcipit ars, inuenire. Numerus per numerū multiplicat, quando alterutrū eorū toties sumit, quoties in reliquo est unitas. Perfecta erit huius rei operatio, cum pro eo qui multiplicatur numerus, qui ex multiplicatione prouenire dicitur, secundum artis præceptum fuerit figuratus. Numerus per numerū diuiditur, quando unus ab altero quoties fieri potest diminuit. Operatio huius speciei maxime consistit in artificiosa numeri notantis quoties alter in altero sit inuentione. Hic autem numerus exiens uocatur. Numerus quadratus est quem producit numerus quilibet in se ipsum semel multiplicatus. Numerus uero per se semel multiplicatus radix quadrati dicitur. Numerus quilibet in se uel in alium bis multiplicari dicitur, quando in eum multiplicatus multiplicatur etiam in productum. Cubicus numerus est, qui fit, numero in se bis multiplicato. Radix cubici est numerus qui bis in se multiplicatur. Extractio radicum est secundum artificialem operandi modū earum inuentione. Cū quatuor limitum numeri minimi ita se habent, q; primus à secundo continetur totiens, quoties tertius à quarto, dicitur primi numeri limes tantum distare à limite secundi, quantum limes tertij à limite quarti.

CONCEPTIONES.

Omnis limitis numeri decuplantur à numeris proximi superioris limitis, quilibet à suo relatiuo. Omnis numerus limitis totiens continet primū

Articulus
quid.

LIMES.

1.

2. 3.

Numerus compo-
situs quid.

Subtractio.

Dimidiatio.

Multiplicatio.

Diuisio.

Numerus quadratus.
Radix quadrati.

Cubicus numerus
Extractio radicum.



1.

2.

primū

Additio

Duplatio

